



## The Holy See

---

PIUS PP. X EPISTOLA **QUOD COGNOVIMUS\*** VENERABILI FRATRI AGNELLO, EPISCOPO NOLANO,  
OB L EXPLETOS ANNOS SACERDOTII Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Quod cognovimus  
ex tuis proximis litteris te propediem quinquaginta sacerdotii annos completurum, id Nobis scilicet valde gratum fuit,  
praesertim quia videbamus dari Nobis causam eius testandae benevolentiae, qua te ob merita prosequimur. Itaque, cum  
tibi iam nunc gratulamur quod virtutem diligentiamque tuam usque adhuc provexit divina benignitas, magnamque et  
aetatis et meritorum accessionem optamus, tum pontificalis indulgentiae munera volumus fausti diei, in quem memoria  
tuuae consecrationis incidet, augere laetitiam eamque facere fructuosorem. Quare in eum diem damus tibi, ut, cum  
Sacrum facies, plenariam peccatorum veniam a Deo impetres; atque hoc idem tribuimus omnibus; de tuo grege fidelibus,  
qui, rite Confessione abluti et Sanctissimi Eucharistia refecti, te ipsum et Nos remque christianam Deo commendaverint.  
Auspicem autem divinorum munerum, tibi, venerabilis frater, et Clero populoque tuo apostolicam benedictionem  
amantissime impertimus. *Datum Romae, apud S. Petrum die XVII Februarii MCMX, Pontificatus Nostri anno  
septimo. PIUS PP.*

---

X

\*AAS, vol. II (1910), n. 5, pp. 189-190.